

Arnold Duncker    Nicolaus Wilkenius

## **Primitiae Academicae De Infinito**

Rostochi[i]: Richelius, 1658

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730549615>**

Druck    Freier  Zugang



RU phil 1658

Arnold Dünker

Nicolaus Wilken









PRIMITIÆ ACADĒMICÆ  
DE  
INFINITO,

Quas post censuram  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
cum auspiciis divinis

PRÆSIDE

M. ARNOLDO DUNCKERO,

Qvakenbrugâ Westphalô,

*Philosophiæ Cultoribus nobilissimis,  
exhibebit*

NICOLAUS WILKENIUS,

Wismariensis, Respondens.

In Auditorio Majori die 9. Januarii.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typog.

ANNO c19 19c LVIII.



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
M. ARNOLDO BUNZERS  
ROSTOCK





ZYN OEQ.



ui Naturam Infiniti abstrusas  
& satis ponderosas difficultates continen-  
tem asstimaturus esse, forte non immerito  
ad nos applicabit illud Comici. Ad pœ-  
nitentiam properat, citò qui judi-  
cat. Equidem non diffitemur amplissi-  
mum hoc exercitium nostrum, quibusdam  
suis difficultatibus nîc et Coſia duabûs  
faceſſere negocia. Præprimis cum peri-  
culosa conclusiones à nonnullis Componiſtis temerè contra fidei articulos  
immisceantur. Ceterum cum illorum *Quæſtiones & Problema* par-  
um ſuſpiciamus, ſequeſtratis heterogeneis illa ad vires ingenii excutiemus,  
quæ cum pietate dici, & veritate defendi queunt. Ubi tamen  
non pollicemur cœlica arcana, aut illa quæ lucernam ſapiunt, & So-  
eraticum genium; ſed hypotheſes aliquoties publicatas & conceptus  
vulgares. In quo expediendo Ens infinitum, ſimpliciſſimum & im-  
mutabile nobis vires pro clementiâ ſuâ communicabit.

POSITIO I.

Infinitum est, quod caret terminis  
perfectionis.

§. I.

Magister subtilitatis Scaliger de Scholâ Philosophicâ  
Optimè meritis infiniti naturam considerans, inquit: *Nihil*  
*Infinito potest esse æquale. Quod satis accurate dictum putaverimus,*

A

modo



modo sensus vocis (æquale) rectè eliciatur. Ita vult concludere Scaliger: *Quicquid est Infinitum nullum agnoscit æquale. Atq; Ergò. Ratio consequentiæ est, quia æqualitas est ratio mensuræ, Infiniti autem mensura nulla. Ubi enim datur mensura, datur certum punctum terminans. In Infinito non datur certum punctum terminans. E. Non datur mensura. Rursus: Ubi nullus datur terminus perfectionis, ibi datur summa perfectio: In Infinito nullus datur terminus perfectionis* E. v g. Si DEI omnipotentia non habet terminum activitatis, erit summè perfecta potentia. Si DEI omniscientia non habet terminum cognitionis, erit summè perfecta scientia.

§. 2. Hujus Infiniti perfectio commodè ulterius declaratur, si attributum ejus accuratius pensaverimus, quod est: *Infinitum esse à se ipso. Quodcumque est à seipso, illud aut est perfectum, aut nullum Ens est perfectum. Consequentia probatur: Si illud Ens non est perfectum quod est independens, nec dependentia erunt perfecta. Nullus enim effectus est nobilior sua causà. Et sic consequenter nullum Ens est perfectum. Quod absolum. Quod Infinitum sit à seipso, ita demonstramus. Aut Infinitum est à seipso, aut per aliquam productionem? Non per aliquam productionem, (eo ipso enim limitata esset ejus essentia). E. à seipso. Objicis? Nihil esse à seipso. Respondeo, positive non negative. Ex hoc videre est, solum DEUM esse Infinitum, quia solus à seipso est, nisi duo Infinita dari affirmaveris, quod postea in sequentibus videbimus.*

## POSITIO II.

### Non dantur duo Infinita actu existentia.

§. 1. Non attendimus hic Infinitum in latiori conceptu umptum, quod alias ad nos dici solet; quomodo stellarum, arenæ & individuorum numerus infinitus dicitur: sed Infinitum propriè dictum prout positione prima definitum est.

§. 2. Posi-



§. 2. Positionem probamus per conclusiones etc. *ad unum*  
*in principio* Cas. (1) Ubi dantur duo Infinita, dantur duo Principia independen-  
 dentia. Quod Scaliger paradoxon dicit. Consequentia proba-  
 tur: Quia infinitum ut superius dictum est omnem excludit defe-  
 ctum. Omnis autem dependentia præsupponit defectum, quod  
 Infiniti naturæ repugnat, quippe, quæ terminis perfectionis caret,  
 seu, cui repugnat habere terminos essentialæ. Quod mavult Cl.  
 Frommiius in Metaph. pag. 250. (2) Si duo darentur Infinita, vel si  
 præter DEUM daretur Infinitum, illud aut esset creatum, aut increatum?  
 non increatum: alias duo increata, geminumq; DEUM posueris. Nec  
 creatum: Quod enim creatum est, finitum est; Datur enim certum mo-  
 mentum in quo non fuit. Excipis! Dari hic tertium, nempe concre-  
 atum esse, sic Accidentia à nonnullis dicuntur concreta, quia per  
 hos terminus creationis substantia est. Resp. Quicquid sit, dum  
 concreatum dicitur, conproductum dicitur. Quæ tamèn obje-  
 ctio huc vix quadrat.

### POSITIO III.

## Non dantur duo Infinita potentiâ.

§. 1. Magna pars Scholasticorum Infinitum potentiâ ar-  
 duè & rigurose propugnat, sed frustra: Quia frustra id in potentiâ  
 dicitur, quod quæ substantiam actualem semper repugnantiam di-  
 cit. Belligerant nihilominus suis difficultatibus circa Infinitum  
 potentiâ, quas apud Franciscum Murziam, Svaregium, Mendozam,  
 Exc. Scheiblerum, & alios legere potes.

§. 2. Inprimis sequentia urgent: Aut DEUS potest facere  
 omnia, quæ cognoscit, aut non potest? Si potest? poterit facere Infini-  
 tum, quia Infinitum cognoscit. Sin non potest? Potentia à Scientia in  
 DEO exceditur, attributum ab attributo. Quod ablonum. Resp.  
 (1.) cum Excellentissimo nostro Philosopho D. GOSMANNO, ex  
 sua Disputatione de Spharâ activitatis habita, quod excessus ille  
 fiat, vel ad extra, vel ad intra, vel ad utrumq;? non quoad intra



nisi totam velis destruere essentiam divinam, illamq; à seipsa excedi, affirmare; *Quia omnia attributa sic identificantur essentia, ut dicere queam, omni scientia est Essentia, omnipotentia est Essentia.* Si ergò excessum statuis in attributis, statuas illum in essentia necesse est, quod constat, ex dictis: Nam si omniscientia excederet omnipotentiam, *utiq; essentia sub formalitate Scientia, excederet seipsam, quatenus esset sub formalitate potentia.* Quod absurdum. Non igitur quoad infra, & sic nec ab utrumqve. E. Quoad extra, seu ratione objectorum scibilium & possibilium: Ità verò excedi, nondum est finitum reddi, nisi misericordiam DEI etiam ab attributis aliis excedi affirmaveris, quia non potest in tot objecta ferri, in quot attributa alia. (2) Et hoc observari potest, quod DEUS cognoscens Infinitum præter se, illud non cognoscat cum possibilitate existendi, sed cum repugnantia.

§. 3. Ceterum si DEUS posset simpliciter omnia illa facere, quæ cognoscit, posset etiam facere peccatum, contradictoria, & per consequens mendacia: Omnis enim contradictio continet in se mendacium- ut rectissimè Cornelius Martini fatetur. Sed sicuti hæc repugnant essentia divina, ita & repugnat illi facere infinitum.

§. 4. Eustachius à St. Paulo Infinitum ita destruit. *Aut DEUS potest in infinitum aliquid augere, aut non potest? si potest? non dabitur Infinitum, illud enim quod potest augeri non est Infinitum. Sin non potest? potentia DEI fuerit exhausta.* Verùm enim verò hoc argumentum non habet tantum roboris, ut destruat Infiniti possibilitatem. Pari robore ita concludo: *Aut DEUS potest plus novisse, quam novit, aut non potest? Si potest? &c. Sin non potest? Scientia DEI erit exhausta.* Absurdum. Non enim procedit illa argumentatio. Quicquid non potest agere, ejus sunt exhaustæ vires. Quia (1) actus non arguit potentiam imperfectionis: Sic is non imperfectè cognoscit, qui omnia simul cognoscit. (2) Sapè est repugnantia in objecto, ob quam actio non potest exeri: Sic Philosophus potest docere philosophiam, sed si illam docere velit Asinum, actum agit; quia repugnantia



gnantia in objecto est. E. in simpliciter posita propositione veritas hactenus exulabit.

§. 5. Tumultuantem Vorstium parum curamus, cum blasphemus est in venerandum Trinitatis mysterium, illudq; multo scommate & horrendis compositionibus maculare & inquinare studet, quæ tantum impietatem, & animum dissolutum redolent; *Dum in DEO ἀλλο καὶ ἄλλο, subjectum & accidens, agens & actionem, virtutem limitatam, & finitatem ipsam* mordicus & blasphemè defendit, quæ silentio potius & suspiriis refutare volumus, quam periculoso ratiocinio, præprimis, cum ipsi DEO, & sancto ejus nomini ejusmodi Homines parcere non didicerint, & sic nec ullius principii veritati parent, ex quâ cum illis disputare tuto audebis.

#### POSITIO IV.

DEUS Ens Entium ab omni creaturâ venerabile, unicum illud Infinitum est, quod agnoscimus.

§. 1. Quod DEUS sit infinitus per duo ejusdem essentia attributa validissimè asseri potest. 1. *Per omnimodam independen-  
tiam & essentia eminentiam.* 2. *Per omnimodam indefectibilitatem  
& immortalitatem.* Si enim illud Ens non est Infinitum, quod ejusmodi gaudet passionibus, quodnam quæso mihi Infinitum dabis? Et qui hæc attributa in DEO negat, atheismum fovet.

§. 2. *Qui DEO Summam perfectionem adimunt hisce utuntur fulcris.* I. *DEUM non produxisse effectum Infinitum.* E. *DEUM non esse Infinitum.* Resp. (1) Nullus effectus à DEO productus est infinitus. Concedo: E. DEUS non est infinitus. Nego: ratio est, quia implicat contradictionem *esse effectum & esse infinitum*; eo ipso enim dum effectus est, finitus est: ut ex superioribus



oribus constabit. (2) Distinguo inter effectum & modum efficiendi. Effectum esse finitum jam concessum est, sed modum esse finitum negamus. Quis enim modum istum, quo DEUS ex nihilo negativo aliquid produxit, diceret esse finitum? quanquam non negamus viribus humanis posse aliquid fieri ex nihilo, sed privativo. Tacemus, quod alias illa argumentatio, quæ à negatione actus secundæ proceditur, ad negationem actus primæ, sit nulla. DEUS hoc non fecit. E. non potest. DEUS non fecit plures mundos. E. non potest.

§. 3. II. DEUM esse hoc & non aliud, adeoq; aliquid *ἄπειρον* quod pugnat cum naturâ Infiniti. Resp. Ens propterea non dicitur definitum, quia à nostro intellectu concipitur definite, sed quia perficitur ab alio. DEI essentia autem perficitur à nullo. E. Essentia DEI non est finita.

§. 4. III. Extra DEUM contineri materiam, quantitatem, & alia, que non continentur in essentia divina. E. dicuat, Essentia DEI est finita. Resp. Licet materia, quantitas, & alia imperfectiorem includentia non contineantur in essentia divina formaliter, continentur tamen ibi eminenter. Quod tamen in ampliatiōe & sensu diviso intellectum volumus.

§. 5. Voces (*ἀπεράτη*) incircumscriptus *ἀορις* infinitus) qui urgent, nihil obtinebunt. Quanquam *τὸ ἐν τῇ Φωνῇ ἢ ἐν ψυχῇ σύμβολα εἶναι*, cum Philosopho *ἠδὲ ἐρμηνείας* Cap. 1. non negamus. 1. Enim voces hæ non sumuntur privativè, sed negativè, prout dependentiam in essendo, virtutem limitatam in operando, circumscriptionem localem & defectus omnes excludunt. Si enim terminum (Infinitum) privativè sumseris, dicit quidem de Ente carentiam terminorum, sed ita tamen, ut in Ente non supponat repugnantiam ad limitandum. Quod Infinitum in Essentia DEI locum non obtinebit, nec citra hanc in ulla alia. Est enim Infinitum contradictorium, nisi terminum amplificaveris. Confer Franc. Suarez in Tom. 2. p. 1. Sect. 1. & Armand. de Bello Visu Tract. 2. p. 138.

§. 6. De cæterò, quid de vocibus habendum sit, doctissimè Mirandula in Ep. de Stylo Scholasticorum bellè elaborata, definit-



finivit, quem confer. Philosophus in eo est, ut res excutiat, non ut nominibus (quæ valent ut nummi) disputationes celebret; quapropter ipse philosophiæ Magister Aristoteles vocabula non exhaustire Enrium latitudinem prospiciens, facultatem nova fingendi vocabula ratam habuit, quando ipse de factò nova finxit, ut *πιδάλωτον*, in lib. Categ. cap. 7. p. 56. cui à nonnullis vox *ἑπλέχεια* additur, ab aliis verò separatur. Et sanè Porphyrius suum *ἑπικώτων*, & *ἑδικώτων*, ante usum, quem jam obtinuit, non nisi pro barbaro vendicare potuit.

§. 7. Nihil ergò efficimus, si, cum de rebus debemus esse solliciti terminos ventilemus: Rectissimè Suarez suam confessio-  
nem edit, dicens: *Ideoq; utimur terminis negativis, quia per conceptos positivos, ea, quæ sunt Dei propria, prout in se sunt, non possumus concipere. Ut ergò excellentissimum illud Ens quod maxumè à cæteris distat, minusq; cum illis convenit, quam ipsa inter sese, ab iis separemus, & distinguamus sumendum est illud, quod nobis magis notum est.* Si quis verò pertinaciter terminos hosce odit, porrigat nobis commodiores, quibus in explicandis rebus utamur; de quo jam dudum illi solliciti fuerunt, qui Tullianam eloquentiam desiderabant in rebus philosophicis; nescii, Tullium non omnes res philosophicas nuncupasse, nec penetrasse, quas penetrasse debuisset, si ex illò tantum *ὀνομαστικόν*, de necessitate foret. Cæterum, *creſcente cognitione Entium crescit ὀνομαστικόν*, & si quid primò barbaricam redoler, usu genuinum & domesticum redditur. Hæc de tuo gloriosissimo attributo, DEUS gloriosissime, nulli creaturæ communicabili, per cæcitatem qua hic in via laboramus, diximus: *Illamina Tu oculos nostros, ut sagacius & facilius imposte-  
rum de tuis disserere queamus,*

Amen.

66:(0):9

Para-



# Paradoxa.

## I.

**Q**ui Metaphysicam & Sapientiam Synonyma dicunt, Metaphysicam per habitum theoreticum non per scientiam definire coguntur.

## II.

**Q**uæritur: Num Individua sint Præstantiora genere & specie? Resp. Affirm. Quod confirmant Mercatores egregiè, quando suis individuis contenti, Arithmeticos genera & species relinquunt.

## III.

Non est continuè de ponte dejectendus, qui in prima conjunctione formam à materia peccaminosè conquinari negat. Anima enim est *περὶ τὴν δειλίαν*.

## IV.


Nec crimen comittit, qui Mare Balticum esse in plures partes divisibile quàm nostrum Varnum, audacter inficiatur.

## V.

Nec veritatem odit, qui DEUM in distans posse agere, falsum dicit.







*Præstantissimo, & Eximio*  
DN. NICOLAO WILKEN,  
WISMARIENSI,  
DE INFINITO  
Disputaturo.

**C**irca Infinitum tua mens se, *WILKE*, vo-  
lutat,  
Finit & eximio lumine cuncta bene!  
*Artis id ingenium est. Infinito addere finem,*  
*Ad quem se tandem terminet artis opus.*  
**DUNKERUS** dextrè moderabitur omnia nosster!  
*Felix, qui sequeris cum præeuntis opes.*

Scrib. optima precatus:

Joh. Georg. Dorscheus, D.



**A**nus init. Placitumq; fuit sub limine doctis  
Sistere, quod fini principioq; caret.  
Pone tuis. (benedictus eris!) cum Præside rebus,  
Principium & finem, qui sine fine, DEUM!

*Hermannus Schuckmann*  
*Theol. D. & P.*

Est,



**E**st, qui se verè verbis tunc vivere longis  
abnegat, & truncum sic putat esse merum,  
Si modò non tali sumantur pocula more,  
qvalis apud nostros Teutonas esse solet:  
Sed cum de statuâ facies formosa remota est,  
non decus in reliqvo corpore truncus habet,  
Sic homo cum sanam privavit crapula mentem,  
amisit vultus & decus omne suum,  
At tu WILKENI Doctorum volvere scripta  
expetis, & licitam concelebrare viam;  
Perge bonis avibus, coelum tua coepta secundet,  
sic crescent laudes, quæq; parare cupis.

*Hicse Eximio, humanitate, ac doctrinâ  
ornatissimo Dno. Respondenti suo  
faustum dicit dissertationem,*

PRÆSES.




**I**n finita fugit rerum Natura: sed ausus  
Tu in finita quidem sed sine fine locas;  
**O** Felix qui sic fines sine fine laborum,  
Atqve infinito sine subinde petit!  
Ergo & te quondam longe infinita manebit  
Gloria; Diuceptis commoda fata dabunt;

*Primo conamini Dn. Respondentis  
deproperabat*

*Johannes Rathenim.*







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn730549615/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn730549615/phys_0015)

**DFG**







finivit, quem confer. Philosophus in  
 ut nominibus (qva valet ut nummi) o  
 propter ipse philosophia Magister Ar  
 haurire Enrium latitudinem prospicie  
 di vocabula ratam habuit, quando ip  
 πιδαλωπὸν, in lib. Categ. cap. 7. p 56.  
 χαια additur, ab aliis verò separatur.  
 ἑρικώτων, & ἐδιδωτων, ante usum, q  
 pro barbaro vendicare potuit.


§. 7. Nihil ergò efficimus, si,  
 folliciti terminos ventilemus: Rectiff  
 nem edit, dicens: *Ideoq, utimur termi*  
*ptos positivos, ea, que sunt Dei propria, pro*  
*cipere. Ut ergò excellentissimum illud Ens*  
*minusq, cum illis convenit, quam ipsa inte*  
*stinguamus sumendum est illud, quod no*  
 verò pertinaciter terminos hosce odit,  
 res, quibus in explicandis rebus utam  
 folliciti fuerunt, qui Tullianam eloqv  
 bus philosophicis; nescii, Tullium no  
 nuncupasse, nec penetrasse, qvas pen  
 tantum ἀνομοιοποιεῖν, de necessitate for  
 gnitione Entium crescit ἀνομοιοποιεῖν, & si  
 dolet, usu genuinum & domesticum re  
 ossissimo attributo, DEUS gloriosissime,  
 cabili, per cæcitatem qva hic in via l  
 mina Tu oculos nostros, ut sagaci  
 rum de tuis disserere  
 Amen.

(6):(0):90

excutiat, non  
 celebret; qva  
 bula non ex  
 nova fingen  
 nova finxit, ut  
 is vox ἀπλέ  
 phyrus suum  
 nuit, non nisi

debemus esse  
 m confessio  
 quia per conce  
 possimus con  
 cæteris distat,  
 aremus, & di  
 est. Si quis  
 commodio  
 m dudum illi  
 rabant in re  
 philosophicas  
 set, si ex illò  
 m, crescense co  
 barbaricam re  
 de tuo glori  
 a communi  
 rimus: Illa  
 mposte.

Para-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.